

CARMINA PARVA

---

O luna

o lucens lunula  
splende quiete in supulchreto  
ubi sita heri nostra  
parva dulcis viola  
nostra Annula—

O luna

o dulcis lunula !

\*

Stans antiquitus supra scopulis  
oblita parva ecclesia  
ut patiens mater ex terris longinquis  
expectans filium

Interdum tantum perfugium in procellis  
sinus eius tecti ruinosi  
tantum dulce praesidium  
avium liberalium !

\*

Procedit vocatus cordis vocibus  
ignotus calcans viam crucis  
ignotus omnibus  
sed non avibus  
in arboreto amygdalorum

Et canit cantum tenerum  
ebrius florum odore  
satiatus albore

Ex eius corde et anima  
volant verba ut aves.

\*

Ubi palmae plenae hominis  
quaerentes Lucem

clamantes Pacem

Viator ecce ille cum linteis atris errans  
quaerit Insulam beatam  
perditam anima in inopinato itinere  
Nunc desunt palmae florum plenae viatori  
Illae flebiles

cum manibus in tempestatibus  
exhaustae

exhaustae !

\*

Dies flexus

in

vesperam  
salutat cupressum  
donans ei pallium aureum

Catenis catenatae nubes  
ad septemtrionem navigant  
cum cordibus fulmineis  
supra undas tremescentes  
de profundo exclamantes

\*

Sol occidens

cadens

decedens

in sinum arcanae maris immensitatis  
aves vocat ex tristibus cordibus  
Et aves volantes

illae aves occaecatae

in ardenti tranquillitate  
puncta oculis

puncta nigra factae . . .

\*

Aurantium deglubatae cortices  
iactae in viam huius urbis  
tristes iacent in maestitia

Et in viis eunt homines  
et machinae volant  
at illae cortices pauperes et abiectae  
in nebula squallida  
oculis transeuntium carmen solis loquentes  
in horam fiunt nigrae nigriores...

### Mane Venetiae

Videmus lucem et stellas ultimas  
exeuntes sicut Dantes cum Vergilio ex Inferis  
Tam maris plena roris  
monumenta tacentia  
                                silentia  
mortem expectantia  
At homines multi ebrii et satiati dormiunt  
in sinu vanitatis  
Dormientes aliquid susurrantes  
ad nova sitientes  
Videmus lucem solis  
                                solis laeti  
Nos sumus cum passeribus spretri  
granum parvum tantum paulum  
quaerentibus  
Videmus undas et naves  
Undae sibillantes  
omnia atra asprotantes  
Clamamus ad lucem cum passeribus  
portantes tantas cantilenas  
de floribus matutini temporis :  
—Non est vita tumba  
non est saepe infelix columba !  
  (1960)

### Catena invisibiles

Et plangor tuus cum lacrimis obortis  
profunda repostum mente  
hodie resurgens repente  
ut amnis post imbres auctumnales  
decurrens ab montibus altis  
ruit vires animae

Et naenia tua  
flens herba in vento ante tonitrua

Et tu sola sine filio

Et tu sola sine filia

Et vos sine matre

et sine patre

et illi sine amicis

Soli

soli arbores prope litus sine foliis

O dolor

cur nos vincis

catenis praesensionis terribilis ?